



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

28. Dominic. 3. Epiphan. Quomodo ad SS. Evcharistiam accendendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

vana & damnata gloria, propter quam nec fidem Dei admittebant, unde audierunt: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab i. vicem accipitis?* Joan. 5. Alij vocantur *minores*, qui nec faciunt, nec docent. Tertij vocantur *infimi* omnium, qui malè faciunt, & docent.

Conf. 3. Promissa, & præmia observantibus legem Dei: datur enim ijs vita æterna, & in cælo duplici ordine collocantur. 1. loco sunt *magni*: *Qui fecerit & docuerit magnus vocabitur.* Matt. 5. 2. sunt *parvi*, qui tantum fecerunt & non docuerunt legem Dei, quibus etiam Dominus ait: *Pater reddet tibi*: quid illud? cogitari potest, dici non potest. *Colloquium* de more, præsertim ad B. Virg pro tã sancto consilio: *Quodcũq; dixerit vobis, facite*: Joã. 2. renovatis hujus septimanæ propositis.

MEDITATIO XXVIII.

Dominica 3. Epiph.

Quomodo ad SS. Eucharistiam accedendum.

Videbo Centurionem coram D. JESU se humiliantem. Petam eum imitari in accessu ad SS. Eucharistiam.

Conf. 1. Verba Centurionis: *Domine, inquit, non sum dignus*: ob defectus naturales, quia natura mea infinitæ tuæ, nullius indigæ, & absolutè perfectæ impar est. 2. ob peccata,

cata, & abusus omnium potentiarum. 3. effectus peccati, qui sunt: propensio ad malum, averfio à divinis, passionum motus contra rationem, habitus mali, turpitudine, vermibus, ulcere, cadavere, leprâ, contagione, cloacâ sordidioris. 4. ob præsentem indignitatem, & imperfectiones, & indispositionem, reliquâque obstacula. 5. ob distantiam à perfectione Sanctorum hominum Christi, & Dei, quem accepturus sum.

Vt intres: quia non sum dignus stare contra te, quem toties offendi, quanto minus intres ad me. 2. non sum dignus cogitare de te mente tam foedatâ, quâto minus te intrare recipere. 3. non sum dignus tangere te, quia sum peior Ozâ, & tu melior, quàm Arca: non sum ita tui amans sicut Magdalena, cui tuam men dixisti: *Noli me tangere* Joan. 20. non sum ut ille Seraphin, qui nudâ manu noluit tangere carbonem. 5. non sum dignus aspicere te, ut Bethsamithæ, qui aspicientes Arcam ultra quinquaginta millia occisi sunt contra te, quanto minus ut intres.

Subtectum, quod est tanquam stabulum plenum sordibus, & aspidibus venenatis, spelunca latronum verior, quàm templum, hospitium demonum, pejus inferno, in quo nemo peccat demeritoriè: ego autem plenus cogitationibus contra te novi semper reatus.

Mentem

Meum, possessione naturali, quam nec
 merui, nec mereri potui, quia non fui in
 mundo priusquam illa mihi data esset: tot
 lapsibus foedatum, tot donis spoliatum: ita
 meum, ut nulla creatura possit sibi usurpare
 me nolente, ut gratiam & gloriam te adju-
 vante mihi propriè mereri possim.

Sed tantum die verbo: tam efficaci, quàm
 fuit illud, quo creâsti omnia, quo Lazarum
 suscitâsti: tam salubri, quo Paralytico pecca-
 ta remisisti: tam extirpativo, sicut illam sicum
 arefecisti: tam fecundo, sicut sunt fructus
 centesimi: tam lato, quo nomina nostra in
 celo scripsisti: tam pretioso, quale fuit, de
 quo scriptum: *Et VERBUM caro factum est. Jo. I*

Et sanabitur: à peccatis præsentibus, &
 præteritis, ab imperfectionibus, à malis habi-
 tibus, ab inordinatis passionibus, à tentatio-
 nibus periculosis, ab omissione multorum
 bonorum, ab inconstantia in bene cæptis, à
 defectu profectus in virtute continui.

Anima mea, à te creata, a te redempta,
 verâ fide imbura, toties in peccatis tolerata,
 toties post peccata justificata, toties SS. Sa-
 cramentis refecta, tot auxilijs adjuta, à tot
 malis animi, corporis, fortunarum liberata,
 totidemque malis præservata: tot beneficijs
 naturæ & gratiæ dicata, ad gloriam cœlestem
 vocata, à te denique tam diu in tuo servitio
 conservata.

G.

ME.